

nesciebam. M. quidem **TULLIUS** in *Topicis* hunc quaerendae finitionis modum tradit ab Aristotele, quemadmodum res ipsa indicat, acceptum, ut cum sumpseris ea quae insunt ei rei quam definire voles cum aliis communia, usque eo persequare dum proprium efficiatur quod nullam aliam in rem transferri possit: ut hoc, *Haereditas est pecunia*, commune adhuc: multa enim genera sunt pecuniae. Adde quod sequitur, *quae morte alicuius ad quempiam pervenit*, nondum est definitio: multis enim modis sine haereditate, teneri mortuorum pecuniae possunt. Vnum adde verbum, *iure*, iam a communitate res disiuncta videbitur, ut sit explicata definitio, sic, *Haereditas est pecunia quae morte alicuius ad quempiam pervenit iure*: nondum est satis: adde, *Nec ea legata testamento, aut possessione retenta, consecutum est*. Hanc igitur quaerendae finitionis viam M. **TULLIUS** ostendit, e locis inveniri posse non dicit. Locus enim ille definitionis admonet tantum, ut cum quid res sit quaeretur, adhibeamus definitiōnem, definitio quomodo investiganda sit non monet. Quinta illa supereſt reprehensio, *Aristotelem in libris Analyticis inepte facere, qui elementorum exemplis, non poētarum, non oratorum, non rerum denique ipsarum perpetuo utatur: ut aut stulte & ridicule Geometras imitari studuisse videatur, aut vero divinasse multos sua scripta admiraturos, qui Alphabeti duntaxat literas didicissent*. Quorum nihil a te vere dicitur: neque enim elementorum modo exemplis Aristoteles utitur, sed ubi praecepta sua vera, constantia, necessariaque esse in elementis primum ostendit, tum ea veris rerum illustrat exemplis, ut nullum vel rudiorum querelae, vel tuae calumniae locum relinquere voluisse videatur. Tum vero quod utitur elementis, neque id eo facit, ut aut Geometras ridicule & inepte imitetur, aut quod divinarit homines *abecedarios*, ut ita dicam, sua scripta admiraturos, quin ut homines potius intelligerent, rationem eam concludendi quam docet, ad quamcunque adhibeatur materia, firmam perpetuo constantemque esse. Respondi tibi ad ea quae in libris iis duobus sine ullo iudicio damnabas: quibus tu quia collarium veluti quoddam addere voluisti Stoicorum illam & Ciceronis reprehensionem, pro utrisque tibi pauca respondebo. Ita enim Ciceronem, ut taceam de Stoicis, de omnibus nobis meritum puto, ut adversus tuas calumnias defensor ei deesse non debeat. Et certe magis eum haec causa, quam Stoicos attingit: illius enim libri in medio sunt, horum nihil legimus, ut si tibi negetur, falsos hos quos dicis conclusionum modos, Stoicos invenisse, non habebas quo resutes. Tuam igitur reprehensionem tuis ipsius verbis proponam. *Iis tantis malis adiecere inquis, Stoici fallacem syllogismi speciem tertiam & septimam, quos in Topicis CICERO*

*sequutus est. Dispositio enim illa constans & perpetua non est, ut si dicam de viro optimo,*

*Non si homo est Socrates, malus non est,*

*Sed homo est,*

*Ergo malus est.*

*Non & equus homo est, & lapis,*

*Sed non est homo,*

*Ergo lapis.*

*Propositio vera est, assumptio vera, falsa conclusio. Scio quid hic dici soleat, propositionem ex repugnantibus rebus fieri oportere. Argumenti ergo natura firma erit conclusio, non argumentationis & dispositionis, quod opus erat.*

Haec tu quoniam a Cicerone acceperis: Quare Ciceronis verba ponamus. *Cum autem, inquit CICERO, aliqua coniuncta negaris, & iis alia negatio rursus adiungitur, & ex iis primum sumpseris, ut quod relinquitur tollendum sit, is tertius appellatur concludendi modus. Non & legatum argentum est, & non est legata numerata pecunia,*

*Legatum autem argentum est,*

*Legata igitur numerata pecunia.*

Haec Ciceronis verba esse scis: quae quemadmodum intelligenda sint, nunc audies. Coniuncta haec sunt,

*Et legatum argentum est, & legata est numerata pecunia: quae negabuntur, si negationem praeposueris, hoc modo,*

*Non & legatum argentum est, & legata est numerata pecunia.*

Addenda rursus negatio est, hoc modo,

*Non & legatum argentum est, & non est legata numerata pecunia.*

Coniuncta illa, cum praeposita nondum esset negatio, vera erant, *Et legatum esse argentum, & legatam esse numeratam pecuniam: falsa negatio praeposita fecit, hoc enim praeposita negatione valent, fieri non posse ut numerata pecunia ei legata sit, cui legatum sit argentum.* Secunda cum accessit negatio, vera rursus fiunt: hoc enim tum dicunt *non posse non esse legatam pecuniam numeratam ei, cui legatum est argentum: quod si assumas, Sed argentum legatum est, colliges legatam esse numeratam pecuniam: qui conclusionis modus firmus mihi ac constans videtur: ita enim, si mihi hoc des, Non & hominem esse Socratem & esse non malum: illudque item, Socratem hominem esse, negare non possis quod sequitur, Socratem esse malum.* Ita omnino recte colligas,

*Non & hoc est, & illud non,*

*Hoc autem,*

*Illud igitur,*

Hoc te hominem tanto iudicio, & lumine divinitus praeditum Dialectico fefellerit, quod propositionem cui apposita conditio est, a Cicero duci coniunctam putasti. Neque illud animadvertisisti, coniuncta ab eo dici, non quae coniunctione quavis connexa copulataque sunt,

sed

sed ea duntaxat quae hoc modo dicuntur,  
*Et legatum argentum est, & legata est numerata pecunia.*

Itemque,

*Et Socrates homo est, & malus est.*

Alia namque vis est enunciationis huius,

*Non si Socrates homo est, & malus non est,*

Alia huius,

*Non & Socrates homo est, & malus non est.*

Illa vera, haec falsa est: illa idem valet ac si dices, *Socratem quamvis homo sit, non esse tam  
en ideo malum:* haec vero hoc dicit, *Non posse non esse malum Socratem qui homo sit:* quod falso scilicet dicitur. Ut si hac propositione utare, quemadmodum uti debuisti, ut modum hunc tertium concludendi fallacem esse ostenderes, non mirum sit, falsum id esse quod efficitur, *Socratem esse malum*, qui vir sit optimus. Ac ne forte dubites *coniuncta* ita a Cicerone accipi, paulo infra hunc Ciceronis locum, in quo nunc sumus, scriptum iis verbis invenies, *Deinde addunt, inquit CICERO, Coniunctionum negationem sic,*

*Non & hoc & illud,*

*Hoc autem,*

*Non igitur illud,*

Vbi coniunctionem de conditione intelligi non posse vides, nisi prorsus nihil vides. Septimum illum Stoicorum modum, in quo cum aliqua coniuncta negavimus, quod prius est tollimus, ut quod sequitur, evertatur: hoc modo,

*Non & hoc & illud,*

*Non autem hoc,*

*Illud igitur.*

Septimum inquam, hunc modum verum esse non defendo, infirmum, fallacem, captiosum esse dico. Quae enim necessitas est, cum illa duo dederim, *Non posse hominem & lapidem esse & lignum, non esse autem lapidem*, cum inquam duo haec dederim, quae necessitas est me hoc concedere, *hominem, quoniam non sit lapis, esse lignum?* Cum igitur in omnibus iis concludendi modis, qui a Cicerone ponuntur, praeter quam in hoc septimo, propositione & assumptione datis, necessario consequatur complexio, quia Ciceronem stultum non facio, aut ex repugnantibus partibus constituemus propositionem: ubi si alterum ponas, tollis necessario alterum, aut mendosum Ciceronis codicem esse defendemus: ut ubi hodie sic legitur, *Septimus autem*

*Non & hoc, & illud,*

*Hoc autem, non illud igitur,*

Scriptum sic fuerit,

*Non & hoc non & illud non,*

*Non autem hoc,*

*Illud igitur.*

Quae ratio colligendi quam certa, firma, vera, constansque sit, pluribus verbis docerem, nisi omnes sua sponte intelligere arbitrater. Neque

enim illud mihi satis placet, quod vulgo responderi video, modum hunc tum valere cum ex partibus pugnantibus constituta est propositio: causa mihi haec videtur magis ut vera sit propositio, quam ut aliquid isto modo colligatur fiatque necessario. Illa enim vera demum concludendi ratio existimanda est, in qua propositione assumptioneque datis, negari non potest conclusio. Neque vero cum sic concludimus,

*Non & hoc non, & illud non,*

*Non autem hoc,*

*Illud igitur.*

Sextum concludendi modum esse dicam, in quo posito eo quod antecedit, tollitur quod erat annexum. Si enim eundem semper esse modum volumus, cum sumpto eo quod antecedit, quod consequitur evertimus, causa nulla erat, quamobrem sextum modum a tertio CICERO distinguenteret, cum in utroque sumpto eo quod antecessit, id quod annexum est, tollas. Tertii modi hoc est exemplum,

*Non & hoc & illud non*

*Hoc autem,*

*Illud igitur.*

Sexti autem hoc,

*Non & hoc & illud*

*Hoc autem,*

*Non illud igitur.*

Quos modos si diversos M. TVLLIVS facit, quoniam in illo propositionis negatae coniunctae alteri parti additur rursum negatio, in hoc autem coniunctae negatae utraque affirmatur pars, cur modum septimum non faciat, cum negatae coniunctae utraque rursum pars negetur, atque ita quod antecedit ponitur, ut quod annexum est perimitur? Habes iudicium meum de Ciceronis modo illo septimo: quod si minus tibi placebit, non repugno quin illud accipias, quod omnes tibi respondent, *modum hunc septimum tum valere, cum e partibus pugnantibus constat propositio:* quarum ea vis, ea natura est, ut eodem tempore neque esse neque non esse possint. Praetervecta est oratio mea tuarum calumniarum in artem Logicam Aristotelis scopulos omnes non tam equidem periculosos quam molestos: consequens est ut de secundo iudicio quemadmodum tu dividis, tibi pro Aristotele respondeam. Secundum iudicium credo vocas rationem artium tradendarum, quam Graeci μέθοδον appellant: eam in suo *Organo*, ubi differendi duntaxat praecepta dantur, cur doceat Aristoteles? Aliud differere est, aliud artem aliquam tradere: alia itaque rei illius, alia huius praecepta sunt, neque eadem utriusque rei ratio est. Siquid praetermissum ab Aristotele est, quod ad differendi rationem pertinet, profer, reprehende, flagitium Aristotelis agnoscam, tuam laudabo, suspiciam, admirabor diligentiam. Neque enim ita me Aristoteli addixi, ut illius aut errata defendarem, aut negligentiam excue-

excusarem, neque ita a te unquam opinione dissensi, ut si quid aut invenisses per te, aut acceptum ab alio melius tractando & explicando fecisses, meritam tibi laudem supprimere voluerim. Cum enim id inhumanum est, ac serum, tum statuendum mihi exemplum non est, ut si quid esse (qui in literis quanta maxima possum industria versor) commode unquam aut invenero, aut scripsero, calumniari alii quam laudare malint. Sed ad rem. Nihil necesse est R A M E cum differendi traduntur praecepta, rationem explicandarum artium exponi. De qua quoniam nihil mihi dicere videris, ipse quae a G A L E N O hac de re scripta sunt, dicam. Tres omnino viae sunt, quibus artes, aut inveniuntur, aut explicantur: resolutione finis in media, inveniuntur compositione, & definiendo explicantur. Omnium scilicet artium ac disciplinarum haec fuisse videtur inventio, ut cum homines utilitatem aliquam consequi voluissent, tum ea omnia quaesierint diligenter, quae ad finem illum propositum ducere videbantur. Sic inventa Medicina est, sic differendi & dicendi artes, sic Politica, sic Moralis disciplina, & ne longum faciam, Philosophia universa, ipsaque etiam fabriles artes. Quod de omnibus dictum, satis fuerit in una aliqua arte demonstrare. Cum initio homines sub dio agerent, & caeli iniurias ferre vix possent, ratio quaerenda eis aliqua fuit, qua aestus, frigora, imbræ arcere ac vitare possent. Quare de tecto primum, tum quia sublime stare illud per se non poterat, de parietibus quibus superimponi posset, cogitauit: postremo de agendis altius fundamentis, quo ipsi stare parietes firmius possent: a quibus postea in aedificando inceperunt, parietes deinde excitarunt, tectum postremo de quo primo cogitarunt, superiniecerunt. Quo eodem ordine de iis ager, qui aedificandi artem literis volet explicare: non secus atque Medicus elementa quatuor principio contemplatur, tum qualitatum temperationes: eas deinde corporis nostri partes, quae unius. admodum generis & naturae sunt: tertio quae diversarum sunt naturalium, e quibus proxime homo constituitur, de cuius sanitate & tuenda & restituenda cogitationem initio suscepit. Haec compositionis & progressionis via est & ratio, tradendis artibus accommodata maxime: cum media eo usque persequimur, donec ad eum finem perveniamus, qui nobis erat propositus. Altera via est, tradendarum compendio artium, cum breviter definiendo & dividendo, omnia quae in arte insunt, transigimus: qui ratione artem suam *parvam* (sic enim inscribitur) GALENVS composuit & explicavit. *Logicam artem*, quemadmodum ante diximus, componendo & progrediendo tradidit Aristoteles: ab illis enim decem generibus, quae a fine regrediens suo invenerat postrema exorsus, ad nomen &

verbum progressus est, inde ad enunciationes: tum ad syllogismum, demum ad evidentem illam ac necessariam probationem pervenit, quem artis huius finem constituimus. Quanquam autem artem hanc explicit componendo, definit tamen ac dividit multa, exemplis omnia declarat: neque enim dici potest, artem ullam tradi posse, in qua quae universa sunt non tribuantur in partes: quae involuta sunt, non explicitur definiendo: quae multiplicia sunt, non distinguuntur, quae obscuriora sunt, exemplis, similitudinibus, contrariorum oppositione non illustrentur: quae dubia sunt, certa ratione non probentur. Haec cum pessimi etiam scriptores & facienda esse intelligent, & faciant semper, persuaderi non potest, summos Philosophos, qui ante Aristotelem fuerunt, rationem hanc tradendarum artium ignorasse. Sed magnam semper habuit controversiam *a genere ne an a formis singulis, a causa, an a re potius effecta initium docendi fumeretur.* Quod cum Aristoteles dicit, suam veteribus gloriam non adimit, quanta in re sit difficultas ostendit. Tertium iudicium restat, quod & in *Parmenide*, & in libris de Rep. sexto & septimo attigit PLATO, Aristoteles autem pluribus & illustrioribus literis pertractavit: in quibus tu non sapientiam ullam, sed morologiam quandam singularem describi vis. Quod quibus a te verbis dicatur operae, premium audire est. Nam, inquis, cum primi libri duobus capitibus & tertii initio sapientia definitur causarum scientia, deinde proponuntur causarum genera quatuor, forma, materia, efficiens, finis: deinceps veluti e tumulo lutulenta palude circundato, omnes in partes digressiones perpetuae sive regressione fiunt. In reliquo enim primo libro Philosophi vellicantur, qui de causis loquuti sunt, secundo quaeritur an causae specie & origine sint infinitae, tertio inanum dubitationum cumuli substrati sunt, quarto quedam dialectica inferuntur: sed ex omnibus deliramentis longe maximum illud est, quod contradicatio quae principium principiorum statuitur, longissima tamen oratione confirmatur. Septem proximis libris Thesaurus est vocabularii Sophistici & Metaphysicae pbreneseos distortiones phantasticae: quasi aliqua esse possit doctrina ex solo genere, ubi nullae species considerentur. Sic enim Phantasticus ille Theologus Entis metaphysicam ait esse quatenus ens est, nec substantiam, quantitatem, qualitatem, & caetera a Metaphysico somniatore, sed ens solum considerari. Quod si ad coenam lautis perdicibus, leporibus, caeterisque epularum generibus affluentem vocaretur, nec hoc, neque illud attingeret, sed ens ipsum quatenus ens est, pbrenetico odoratu ruminando degluberet. Nec defuerre tamen, qui ad Metaphysica somnia Aristotelis, tertium iudicium, quod Plato singulari nomine Dialecticam appellat, traducerent, & Dialecticam dicerent a Platone Metaphysicam nomine

natam: tam difficile videlicet erat intelligere inventionem dispositionemque rerum, quae oratione tractantur, esse Dialecticae, atque illum locum Platonicum ex pulcherrima dispositione constare. Metaphysicum autem illud tertium iudicium nominare potius quam Mathematicum, ethicum, politicum nulla ratio est: quoniam non Physicae solum, sed mathematum, sed moralium, sed omnium artium dispositionem habet. Verum redeamus ad rem. Duodecimo libro videtur naufragis sapiens urinator se in portum recipere, & meminisse tandem aliquando, sapientiam initio definitam esse Scientiam causarum. Quaerit igitur quae sint & quot in caelo causae, & paucula quaedam de numero orbium ab Astrologis suffuratur: ut verissimum pateat haec intuenti non solum quod scripsit de libro illo PLUTARCHVS in Alexandro, nihil hic utilitatis vel ad docendum, vel ad discendum esse, sed, si ex effectis artium vim metiri liceat, egregia quaedam, ut dixi, morologia sit, quae moriones huius nimiae sapientiae oraculis efficiat. Haec tua verba sunt: hoc tuum de Aristotelis libris, deque ipsa adeo prima Philosophia iudicium sane grave. Ego de Aristotelis libris, quoniam hoc institui, respondebo: simulque quid de re ipsa sentiendum sit ostendam. Primum igitur non video, quamobrem Aristoteles initio eius operis, quod de *sapientia* instituerat, *sapientiam* definire non debuerit: nisi forte suo quidem loco definita concedis, male autem definita vis, quod tibi dicendum tamen erat: ut intelligeremus saltem quid velles. Reprehendis Aristotelem, qui sapientiam initio operis de *sapientia* definierit *causarum scientiam*. Alii id a te reprehendi putant quod non loco, alii quod non recte definita *sapientia* fit: ego qui tuae famae & existimationi consulo, neutrum a te reprehendi dico: nec enim commodiore potuit loco, uti iam ostendimus, neque melius definiri *sapientia*. Cum enim sapiens is habeatur, qui causas rerum principiaque cognoscit, qui principes ac summas causas cognoscit, nonne verissimam is videtur adeptus *sapientiam*? Quid quoeso aliud *sapientia* est, quam perfectissima excellentissimaque *scientia*? quae autem perfectior esse *scientia* potest, quam quae ex iis nascitur principiis, quae quemadmodum libro de Rep. sexto scribit PLATO, ponenda non sunt? Videmus Arithmeticam omnia ea ponere, ex quibus sua colligere decreta vult: idem facit Geometria, idem Astronomia, idem Musica, idem partes omnes Philosophiae, quae circa unum aliquod genus versantur. Quamobrem non satis dignae Platoni videntur *scientiarum* nomine, *artes*, dici vult: quia primis non utantur principiis, quae vera demum principia sunt. Haec prima rerum omnium summaque principia tam earum quae corporatae, quam quae sine corpore sunt, tam earum quae in materia demersa iacent, quam quae extra materiam aut sunt, aut intelligi-

guntur; harum inquam rerum omnium, qui principes causas cognitas habet, is demum sapiens censendus est, & eiusmodi cognitio sola sapientia & scientia iudicanda. Non potuit meo quidem R A M E, iudicio, quod idem tibi videri volo, sin minus existimari quidem certe honoris tui causa, melius definiri sapientia. Cum igitur earum rerum quas diximus, cognitio sapientia sit, non potest de causarum generibus non agere is, qui de sapientia exactius aliquid scribere instituit. Cum enim causarum haec sint genera, *forma*, quae & *essentia* & *natura rei* cuiusque dici potest, *Materia*, quae subiectum est formae, *Efficiens*, unde motus omnis principium est, *Finis*, cuius gratia caetera sunt, principi huic Philosopho quaerendum necessario est de causis: docendumque plura earum non esse genera: id quod consequitur Aristoteles veterum de principiis rerum opinionibus recensendis: nullum siquidem illi causae genus extra haec quatuor afferre visi sunt. Neque vero satis fuerit hoc ostendisse: doceat praeterea necesse est, *rerum causas non esse infinitas*, ne omnis penitus scientia tollatur. Cum enim id demum sciatur, cuius princeps causa cognoscitur, ubi autem causae infinitae sunt, prima nulla esse causa possit, qui causarum infinitatem ponit, is nihil sciri posse existimat. Hactenus nihil non prudenter Aristoteles, nihil non sapienter, nihil non necessario: videamus quae sequuntur. *Omnis ars, omnisque disciplina suas quasdam dubitationes habet: quae nisi proponantur, nunquam satis ars ipsa intelligatur, cum scientiae omnis mater sit ac parens dubitatio.* Tertio itaque libro ea persequitur Aristoteles, quae in hac disciplina quaeri ac dubitari possunt: quae reliquis deinde libris, ut locus incidit apertissimus, dissolvit. Huiusmodi illa sunt, *Vnane disciplina quatuor illa* quae diximus *causarum genera contemplatur: &, primae ne sit Philosophiae essentiae tantum causas cognoscere, non etiam demonstrationum principia*, quale illud est quo omnes utuntur artes, *Non posse rem eandem de eadem & affirmari simul & negari.* Item, *si scientiae huius est rerum principia ac causas contemplari, cum res ipsae diversae sint, aliae scilicet intelligentur solum, aliae etiam sentiantur, ut necessitate diversa earum esse principia, possitne una haec esse ars & facultas, an vero sint plures: si plures sunt, cognatae ne sint inter se tamen, & generis eiusdem, omnesque sapientiac mereant nomen.* Tum utrum tantum ea sint, quae sentiuntur, non etiam quae animo cogitationeque cernuntur: *utrum ea tantum quae sunt, non etiam quae rebus ipsis per se insunt, sapiens consideraturus sit.* Cuius erit artifices de eodem & diverso, simili & dissimili, priore & posteriore ad veritatem disputare, de quibus ad opinionem solum differit Dialecticus: *sintne genera suarum formarum principia quaedam, cum genera, prima*

ma sint, prima autem quae sunt, principia sint. Et si genera principia sunt, rursus suprema ne genera, an ea quae rebus singulis sunt proxima. Tum an praeter subiectum sive materiam, aliqua alia rerum propria causa sit, eaque a materia nesciuncta sit, an in materia vero immersa, qualis rei cuiusque forma est, & Stoicorum sententia, Deus. Sin separata & sciuncta a materia causa ea est, una ne sit an plures. Haec & huiusmodi alia quaerit libro tertio Aristoteles, quam ad eam scientiam apte & accommodate, quae causas rerum omnium primas contemplatur, nemo non videt. Quarto libro Dialectica quaedam inseri ait, & quod longe tibi stultissimum videtur, quod principiorum principium statuitur, longissima tamen oratione confirmatur. O te malum Aristoteleum, si non intelligis, quamobrem utrumque hoc faciat Aristoteles: quem autem te appellem, si sciens & prudens nigra e candidis facere vis? Nam cum propositum Aristoteli esset, de eo quod est, agere, ea ratione qua est, partemque hanc Philosophiae in contemplatione totam esse initio ostendisset, addidissetque quarum rerum contemplatione, primarum scilicet causarum, quas finitas esse docuit, proposuisset deinde, quae in disciplina hac proprie quaeri possint, & vero debeant, quarto demum libro quem Graeci tertium faciunt, de eo quod est (quod cum a Graecis vocetur οὐ, permittes mihi ut Ens appellem) in universum quaerere sapientem ostendit. Et quia Ens ipsum atque unum subiecto eadem sunt, de uno, atque etiam de eodem, de pari, de simili, quae ad unius naturam videntur quodammodo accedere, quaerit: neque de iis modo, verum de illis etiam, quae uni opponuntur, qualia ipsa sunt plura: utrumque enim contrarium eadem doctrina considerat. Quo fit ut de iis etiam quaerat quae simili, pari, eidemque sunt contraria, atque adeo de contrariorum generibus omnibus. Cuncta enim diversitati ac varietati subiecta sunt, diversitas porro & varietas, nisi ubi res plures sunt, intelligi non possit: unum autem & plura contraria esse dicebantur. Quod si de contrariis omnibus cognoscatur, dubitari non potest, quin de eo omni quod est, cognoscatur: quae enim cunque sunt, omnia aut contraria sunt, aut ex contrariis constituta. Hoc si ita est, quemadmodum dicitur, nulla erit res, nullum corpus, nulla natura, nihil erit denique quod princeps haec Philosophia artium omnium regina & imperatrix non consideret. Idque ita faciet, ut ne illa quidem negligat quae Enti qua ens est, (faciamus hoc vocabulum tractando mollius) non qua hoc aut illud: hoc est, quae omni insunt Enti. Qualia sunt communia artium omnium & scientiarum effata: quorum certissimum illud est & commune maxime, Non posse contradictionis veram simul esse utramque partem. Prima igitur Philosophia quae Ens ipsum, quod quidem ab

uno non distinguitur, contemplatur, una erit nimirum ars, unaque doctrina, quemadmodum Ens ipsum unum esse dicitur. Neque vero sapientem solum existimandum est, de Ente in universum agere: commune etenim id & cum Dialectico & cum sophista habet: qui neque in genere aliquo uno aut re una versantur, neque iis in disputando utuntur, quae propria rei unius sunt. Hoc tamen interest, quod sophistae fallere propositum est, Dialecticus rerum probabilitatem consecutatur, sapiens vero noster, quicquid probandum sumpserit, vera & necessaria ratione concludet. Haec fere sunt, quae quarto libro traduntur. Verum quid est, quod contradictionis principium illud longe clarissimum & certissimum eodem libro tam multis probatur? Primum igitur intelligendum illud est, principia si prima sint, quale hoc contradictionis est, non posse ex aliis rursus principiis demonstrari: neque Aristoteles hoc quod dixi principium tam probat, quam Heraclitum, & Protagoram coarguit, qui in contradictione tertium quoddam esse dixerant: qua in re iis utitur rationibus, non unde scientia nasci vera possit, sed quibus ad absurdum aliquod adigat compellatque adversarios, & secum ipsis pugnare ostendat: quas in Analyticis ις τὸ ἀδύτον vocabat. Iam credo intelligis, quaenam quarto hoc libro Dialectica, & quamobrem inserta sint: Transeamus ad thesaurum vocabularii sophistici, & Metaphysicae phreneseos phantasticas distortiones: de quibus initio tibi respondebo. Sed quaenam quaeso ista verba sunt, Metaphysicae phreneseos phantasticae distortiones? Quae haec aenigmata, quae Allegoriae sunt? aut quod hoc Saliorum carmen est, quod ne a sacerdote quidem ipso a quo canitur, intelligitur? quae haec verborum, aut mentis potius monstra ac portenta sunt? qui enim potest non esse eius portentosa mens, cuius tam monstrosa est oratio? sed dices mihi, non in eo esse causam, hoc ne an illud verbum dixeris, rem spectandam esse: te istis verbis hoc duntaxat significare, Generis cuius nullae considerentur formae, partes inspiciantur nullae, scientiam esse nullam posse: quare Metaphysicam, quae id quod est in genere contemplatur, ad eius partes non descendat, scientiam tibi non videri. Nihil sane, si modo quae affers vera sunt, dici melius potest. Ego enim RAME, tantum abest, ut nullam esse generis scientiam putem, ut verissimam etiam esse credam: quo enim generis natura universa magis est, magisque adeo una quam formarum, eo verior generum quam formarum existimanda scientia est. An qui in Triangulo angulos tres esse scit rectis duobus angulis pares, non veriorem excellentioremque scientiam adeptus est, quam qui hoc idem in genere aliquo trianguli esse scit? Cum igitur generis non solum scientia sit, verum etiam multo sit quam partium

ipsarum praestantior, illaque per se pulchre sine hac haberi possit, haec ab illa pendeat, cur mihi genus tractare sine partibus non licet? An sine quo aliquid esse potest, sine eo considerari non poterit? Hominem, ut ad homines singulos non respicias, cernis animo & intueris, animal sine homine & bellua contemplaris, sine animali vivens, sine hoc corpus, sine corpore essentiam, cur non Ens sine essentia? Cur quemadmodum essentiae esse scientia potest, corporis, viventis, animalis, hominis denique potest, si quae horum propria sunt demonstrentur, Entis eodem modo non possit? An non causae quaedam sunt primae communesque rerum omnium, quae neque Philosophi naturalis sunt, neque Mathematici propriae dici possunt, cum utrique sint communes? Hanc cognitione nullane scientia continebitur? Ne truncus quidem hoc dicat. Iam vero cum hae causae neque essentiarum, neque formarum Mathematicarum propriae sint, neque ullius denique accidentis, an non necesse est, eius eas esse proprias, a quo haec cuncta continentur? Hoc autem quid aliud quaequo esse potest, quam Ens? Ad haec artes quae in una aliqua re versantur, quemadmodum ante ex PLATONIS *Republica* dicebamus, sua ponunt principia, non probant: itaque ex ignoratis principiis quae colligunt, ignorari ea quoque est necesse: Quamobrem ne omnia ignorentur, principem esse quamdam facultatem oportet: quae reliquarum artium principia demonstraret: cuius tam clara sua sponte sint notaque principia, ut ea neque poni, neque exquisita ulla ratione probari sit necesse. Quam nimirum PLATO lib. de Repub. septimo Dialecticam dici posse quodam loco vult: qui iis prope verbis scriptus est: H A V D S E C V S cum quis se ad differendum confert, neque sensus ad eam rem adhibet, ratione neque duntaxat invenire nititur, quae rei cuiusque natura sit, neque prius conquiescit, quam ad bonum ipsum pervenierit, tum perfectam demum assequutus est rei intelligibilis cognitionem. Certe, inquit, Glauco. At nonne Dialecticam banc progressionem vocas & Socrates? Nihil, inquit Socrates, probibet. Hunc tu locum de principe hac philosophia intelligi non vis. At Plotinus melior paulo quam tu Academicus, at ipsa veritas vult. Vide enim de disputatrice illa facultate quomodo eodem libro loquatur cum Glaucone Socrates. Non animadvertis, inquit Socrates, O Glauco, quantum bode mali e differendi facultate publice oriatur. Habemus enim quasdam de honesto, iusto, omni denique officio opiniones: sub quibus tanquam sub parentibus sumus educati: iis paremus, has omni cum veneratione & sanctimonia conservamus ac retinemus. Insinuant & se nobis voluptatis boni quidem imitatrices, re vera autem matres omnis turpitudinis, honestatis inimicae: quarum dulcedine, blanditiis, scabie al-

licimur, corrumpimur, depravamur. Nec tamen tantum valent ipsae per se, ut imbibitas una cum lacte opiniones, quas praesertim tam sancte conservamus, repente possint ex animis hominum extirpari. Quod si Dialectica quis instructus nos aggrediatur, roget quid iustum sit, nos quod de legislatore didicimus, respondeamus, ille contra bonis suis rationibus eo nos deducat, ut non magis honestum id quam turpe opinemur, idem in bono, idem recto faciat, idem denique in caeteris officiis, nonne ea minus curare incipiemus, & sic tandem in omnem iniustitiam & turpitudinem prolabemur? Quod ne accidat soli ii qui trigesimum annum attigerint, summa cautione Dialecticas argumentationes degustent. Haec & huiusmodi alia Socrates: quae de disputatrice facultate, uti iam diximus, intelligenda esse nemo non viderit. Vtrumque ergo hoc aperte, nisi fallor, docui, & Entis (iam enim hoc verbum non refugiam) esse scientiam, & apud Platonem eo loco quo negas, Dialecticam, primam intelligi philosophiam, non rationem disserendi in partem utramque probabiliter: de qua in extremo libro quemadmodum loquatur Socrates, audisti. Veniamus igitur ad *thesaurum vocabularii sophistici*: quem praeter te nemo unquam isto loco inveniet, quem tu indicasti. Librorum enim quatuor primorum sententiam tibi explicavi. Quinto autem deinceps libro ea partitur Aristoteles, quae in omni ente insunt, ipsumque consequuntur. Sexto quomodo res quaeque definienda sit, docet, & quae definitionem non habeant, quomodo explicanda: quae autem definitionem habeant, & quae item non habeant, libro sequente exponit: essentiae, quia vere proprieque sit, veras afferri definitiones posse, accidentium quia vere non sint, non posse. Libro octavo quae superioribus diobus proximis libris dixerat, ea repetit & declarat apertius. Non de eo quod re ipsa est, & quod vi tantum ac facultate differit: quoniam de utroque Ens dicatur: princepsque ipsa causa quam sapiens investigat, actus sit quidam. Decimo autem libro quoniam Idearum authores autem inducebant, cuius hoc ipsum natura esset, quod esset unum, non de quo unum, ut de Socrate diceretur: neque id ens, sed unum appellabant, de quo multis in *Parmenide* differit PLATO: idcirco Aristoteles num quae talis natura esse possit, quae aliud nihil sit quam unitas, inquirit. Quod ut faciat commodius, unius partitionem initio inducit, tum proprias quasdam notiones ponit, ad extremum quomodo accipiendum sit in rebus iis quae sentiuntur, docet. Undecimo libro earum dubitationum, quas libro tertio proposuerat, magnam partem dissolvit. Duodecimo demum de principe rerum omnium causa edisserit, quam maxime sapiens investigat, & in cuius cognitione acquiescit. Quid in omnibus iis libris RAMB est, quod ad sophistam non

ad sapientiae magistrum pertinere putas? aut si quid vero tale est, cur non profers, non refellis? Quae, malum, vecordia ista est, dicere Aristotelem vocabularii sophistici Thesaurum aperire voluisse? ecquis Philosophorum omnium simplicem rerum veritatem magis amplexatus est, adamavit? ecquis unquam sophistis est adversatus insensius? Tune sophistam appellare audes, quem Plato ipse, cuius te discipulum esse vis, *philosophum veritatis* nominabat? cuius ingenii tam excellens vis, tantaque in Philosophia ubertas suit, ut in Theologos, Medicos, Iureconsultos, in omnes denique omnium artium & scientiarum scriptores, doctores, magistros redundarit? Tune nomen illud Aristotelis sanctissimum non dico violare sceleratissime, sed appellando usurpare sine aliqua religione ausus es, quod omnes aetates, omnes literae, omnes usque ad te homines summa veneratione coluerunt? Quis tantus iste furor est? quae ista tam caeca maledicendi rabies? Volebas naturae tuae morem gerere, volebas experiri calumniando, maledicendo, convitiando quantum valeres? Cur Aristotelem, ac non ex hac potius aetate aliquem elegisti tui ordinis scriptorem imprudentem, indisertum, similem tui, in quem tuum virus omne evomeres? an id eo

fecisti, ne tibi ad summam impudentiam, improbitatem, impietatem reliqui quicquam faceres? Nihil augendi criminis dico, neque vero, si vellem, possem: verum quae maior excogitari impudentia potest, quam hominem Graecis nullis literis eruditum, Latinis male tintatum, Philosophiae, sicuti res indicat, ignarum, velle Aristotelem ea docere, quae ipse non possit dicere se didicisse? Quae maior dici improbitas potest, quam omnia singendo, ementiendo, depravando, velle non modo de Aristotele crescere, sed illius in se quoque gloriam transferre? Quae tam detestanda impietas, quam eum cui literati omnes debeant plurimum, tu tantum quantum volueris, mortuum isto modo lacrare, discerpere, concidere? Non progrediar in te accusando longius: neque enim hoc mihi propositum fuit ab initio: respondere tibi pro Aristotele volui, respondi. Nihil superest, nisi ut te rogem, primum, ut scriptum hoc meum tam legas diligenter quam me legisse vides tuum, & si quam ex eo utilitatem capere possis, ne negligas: tum vero ne quid odio tui me fecisse existimes, quin animo potius continenda iuventutis in studio Philosophiae, unde tu eam removere studuisti.

F I N I S.



2111

# INDEX

## AVCTORVM VETERVM ET RECENTIORVM

*Qui in GOVEANI operibus emendantur, illustrantur,  
& laudantur.*

### A.

- A**CCVRSIUS 36. b. 47. b. 94. a. 105.  
seqq. passim. 213. b. 220. a. 225. b.  
**AESCHINES** 389. b.  
**AGRICOLA** (RODOLPHVS) 477. b.  
**ALCIATVS** 200. b. 318. b.  
**ALEXANDER** iuris Interpr. 125. a. 188. a.  
**ALEX.** ab ALEXANDRO 511. a.  
**AMMONIUS** 434. a.  
**ANTONIVS** (MARCVS) 211. a. aequalis Goveano.  
**APPIANVS** 22. a. b. 225. a.  
**ARENIS** (IACOBVS de) 106. b.  
**ARISTOTELES.** 458. & seqq. passim. 725.  
usque ad finem passim.  
**ASCONIVS PAEDIANVS** 348. b. 352. a.  
363. b. 367. b. 382. a. 385. a. 406. a.  
421. a. 449. a. 469. a. 510. a. 576. 616.  
**ATHENAEVS.** 416. b.  
**AZO.** 97. b. 105. a. 216. a.

### B.

- BALDV** 174. a.  
**BARO** (EGVINARIUS) 11. & seqq. 52. a. b.  
**BARTOLVS** 14. a. 94. b. & passim. 203. a.  
**BOETIVS.** 469. a. 470. a. 478. a. 483. a.  
**BOSSIANVS** (IOANNES) Iur. interpr. 232. b.  
**BVDAEVS.** 194. b. 203. b. 218. b. 392. b.  
479. b.

### C.

- CAESAR.** 392. b. 395. a. 414. a. 434. b.  
493. a.  
**CAESARIUS.** 788. a.  
**CAPITOLINVS.** 19. b. 186. b.  
**CASTRENSIS** (PAVLVS) 174. a.  
**CATVLLVS** 344. b.  
**CHRYSIPPVS.** 470. a. 483. b.  
**CODEX IVSTINIAN.**

Leges Codicis explicatae, emendatae.

1. 2. de vet. iur. enucl. 197. a.
1. 1. de off. Praef. Prael. Afri. 21. a.
1. 10. de Pactis. 469. b. l. 29. ibid.
1. 18. de transact. 198. a. 266. b.
1. un. ne quis in sua caus. 41. b.

1. 1. de iurisd. omn. iud. 42. a.
1. 1. de inoff. test. 187. a. 197. a. l. 33.  
118. a. l. 36. 269. b. l. 55. §. 1. 302. b.
1. 24. famil. ercisc. 322. a.
1. un. de rei ux. act. 208. a.
1. 8. §. 3. de repud. 463. b. l. 9. 464. b.
1. 4. sol matrim. 208. b.
1. ult. de mil. test. 117. b.
1. ult. de institut. & substitut. 88. b. 102. b.  
173. b.
1. 4. de impuber. & al. subst. 163. a. l. 5. 211.  
b. 149. b. l. 8. 87. b. 101. b. 173. seq.  
l. 9. 160. a. l. ult. 128. b.
1. 4. de post hered. inst. 123. b. l. 10. 122. b.  
l. ult. 79. a. 209. a.
1. 16. de iur. deliber. 208. a.
1. 1. de Edict. D. Hadr. toll. 189. a.
1. 1. de fideicom. 266. b. l. 14. 107. a. 155.  
a. 169. seq.
1. 16. ad leg. Falc. 198. a. l. penul. 234. a.
1. un. §. 3. de Caduc. toll. 338. a.
1. 15. de leg. hered. 118. b.
1. 1. de ord. cognit. 199. a.
1. 7. de nud. iur. Quir. toll. 90. b.
1. un. de transform. usuc. 469. b.
1. 9. de captiv. 231. a. l. ult. 99. a.
1. 2. de infirm. poen. coel. 125. a.
- CODEX THEODOSIAN.** 41. b.
